

TEXT. V.

EL hijo, ò hija, que está en poder de su padre, seyendo de edad legitima para hacer testamento, pueda hacer testamento, como si estuviere fuera de su poder.

Id est:

Filius, aut filia, qua sub potestate parentis est, si ad legitimam aetatem testandi venerit, possit testari, perinde ac si extra parentis potestatem esset.

COMMENTARIUM

In Legem V.

SUMMARIUM.

- 1 De jure communi, filius familias an possit testari?
- 2 An filius familias naturalis & originarius hujus Regni, si decedat in alio Regno, ibi possit testari?

NOTO & colligo ex ista lege, quod hodie in nostro Regno filius familias qui est in potestate patris potest testari in quibuscumque bo-

nis suis, ac si esset sui juris. Pro cujus perfecta intelligentia præsупpono, quod de jure communitalis filius familias non poterat testari nec codicillari: text. est in leg. *Qui in potestate. ff. de Testam.* cujus verba sunt: *Qui in potestate parentis est, jus testamenti faciendi non habet: aded ut quamvis pater ei permittat, nihilo magis tamen jure testari possit.* & ibi Glossa ordinaria, Bartol. & communiter DD. text. in leg. *Tam is. §. 1. ff. de Donat. causa mort.* text. in leg. 3. §. 1. Cod. *Qui testam. facer. poss.* text. in leg. penult. eod. tit. text. in leg. *fm. §. Ipsum. vers. Filius autem.* Cod. *de Bonis qua liber.* text. in §. 1. *Instit. Quibus non est permitt. facer. testament.* & ibi communiter DD. Cujus ratio est, quia testamenti factio est publici juris, ut in leg. 3. ff. *de Testament. cum similib.* & in his patria potestas impedit, & reddit filium inhabilem: ita dicit *Glos. ordinar. in dict. leg. Qui in potestate. & in aliis locis alleg.* cum qua alii transeunt ibi DD. Sed certè ista ratio non concludit: Imò, attenda ea, posset testari; quia in his quæ publici juris sunt, patria potestas non attenditur, nec impedit personam & habilitatem ejus: text. est in leg. *Nam quod. ff. Ad Trebellian.* ubi habetur, quod filius familias potest esse iudex, tutor, vel curator. Sed substinendo rationem, sensus ejus est, quod habitas & potentia testandi est publici juris, & à publico jure introducta, idè non debet concedi à privata persona & particulari, & sic à patre. Secunda ratio potest esse: quia testamentum dependet à libero

falsam esse constat ex text. in cap. *Fælicis. §. Verum. de Penis. lib. 6. & in cap. Significavi. de Eo qui duxit in matrimon. & in cap. Quoniam multos. caus. 11. q. 3. ibi: Et emere, & capere ab excommunicato.* text. formalis in cap. *Si verè. de Sententia excommunicat.* quibus juribus manifestè liquet, omnes actus & contractus, etiam ad suam utilitatem, posse excommunicatum gerere: ut latissimè tradit *Spino in Rubric. de Testament. gloss. 11. num. 66. & seq.* Minus etiam obstat oppositum correlativum, quo ipse negat, testari & ex testamento capere esse correlativa; cum id apertè costet, nam sicut patrem sine filio non possumus dare, ita nec testatorem sine aliquo qui ex sua dispositione aliquid percipiat. Nec quarta ratio Domini mei divinationem, ut ipse *Tell. inquit*, continet: Quod ex eo probatur; nam cum de jure antiquo condemnatus testari prohibitus esset tamquam pœnæ servus, eadem etiam ratione in consequentiam ex testamento capere fuit prohibitum: text. in leg. *Quidam sunt servi. de Penis.* Cum igitur hodie jam permissum sit condemnato ad mortem, ut facere testamentum possit, quod magis est ut supra probabimus, ut putà, impedimento quo id facere prohibebatur sublato, id est servitute; in consequentiam, ex testamento, quod minus est, capere poterit.

Ex quibus corollarie deducitur, quàm abs re Dominum meum *Tell.* reprehenderit in hujus legis interpretatione, simul cum Gomez. Arias asserens, multa verba eum extra materiam effundere, eo quod declarare connatur, si damnatus ad mortem servus pœnæ efficiatur, necne? cum basis & fundamentum materiæ totius legis sit, ut ex supra traditis constat, hujus quæstionis resolutio. Denique Domini mei sententiam, licet non sic declaratam, sequitur *Velazquez de Avendañ. h. glos. 5. num. 9. Azeved. in leg. 2. glos. 3. tit. 4. lib. 5. num. 4. Matienz. ibid. num. 6.* mutato consilio, eam etiam sequuntur. *Gregor. in leg. 3. tit. 31. part. 7. verb. Señalados. ad medium. Mier. in Tractat. Majoratum. quæst. 1. num. 52. & his non relatis, Spin. suo in Speculo Testamentorum. glos. 8. Rubric. num. 5. & 6.* idè autem latius quàm opus id exoptulat sum progressus, quia neminem *Tell.* contra Dominum meum objectionibus respondentem inveni; licet multos eum sequentes, prout ipse *Tell.* sequitur. Quotiescumque autem articulos, seu quæstiones disputantes & declarantes invenero, remissivè procedam aliorum fundamenta non transcribendo.

In Legem V. Tauri.

arbitrio personæ testantis, ut in leg. 1. ff. *de Testament. & in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Sed filius familias qui est in potestate patris non videtur habere liberum arbitrium; cum sit in potestate patris, & ei subjectus & obediens: ergo testari non possit: ita *Bart. Alber. Paul. & communiter DD. in dict. leg. Qui in potestate.* Sed neque ista ratio satisfacit, neque concludit: quia filius familias potest facere omnia illa quæ consistunt in libero arbitrio, ut, facere contractus & se obligare, & contrahere matrimonium, & denique omnia alia quæ libera persona potest facere. Tertia ratio subtilis potest esse: quia licet ille qui nulla bona habet in actu, possit testari; ut in leg. *Hereditas etiam ff. de Perit. hered.* tamen ille qui nulla bona habet in actu, nec potentia, non potest testari: ut in *Authentic. Ingressi. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* cujus verba sunt: *Ingressi monasterium se & sua dedicant Deo; nec de his testari possunt, ut potè nec domini rerum.* Sed filius familias qui est in potestate patris non est dominus nec capax bonorum, quia ipso momento quo acquirit, non resident penes eum, sed transeunt in patrem: ergo meritò non potest testari; cum dispositio sua esset sine effectu & nullius momenti: istam rationem ponit *Bald. in leg. Senium. Cod. Qui testament. facere poss. 2. column. Cuman. in dict. leg. Qui in potestate.* pro qua facit bonus & expressus text. in leg. *Lex Cornelia. versic. Si verò vivo patre. ff. de Vulg. & pupil.* Et si replices: Quare filius familias non potest testari, consentiente patre, ut dicunt & disponunt prædicta jura? Dico & respondeo, quod ratio est, quia ultima voluntas non debet pendere ex alieno arbitrio; quia esset captatoria, quæ à jure est reprobata, ut in *Leg. Illæ autem institutiones. ff. de Hereditibus instit. & in leg. Captatorias. Cod. de Testament. milit. cum similib.*

Et in tantum est verum, quod de jure communi filius familias non poterat testari, ut procederet & haberet locum etiam in bonis adventitiis, in quibus pater haberet usumfructum, imò, quod magis est, etiam in bonis in quibus pater nullum haberet usumfructum, quos enumerat *Glossa in Authentic. Idem est. Cod. de Bonis qua liber.* quia militant rationes superiores vel aliqua earum: ita probat text. in leg. *penultim. Cod. Qui testament. facere poss.* & ibi communis opinio: *Glossa ordinaria. Bart. & communiter DD. in dict. leg. Qui in potestate. ff. de Testament. Glos. etiam ordinaria. Bart. & communis opinio, in leg. 1. §. In filiis. ff. Ad Trebell. Nec obstat text. in leg. final. §. Ipsum. vers. Filius autem. Cod. de Bonis qua liber.* Quia ibi non debet assumi argumentum à contrario sensu,

quia resultaret contrarius & absonus intellectus. Hodie verò contrarium determinat nostra lex, imò, quod filius familias potest liberè testari, licet sit in potestate,

Item quæro, an filius familias naturalis & originarius hujus Regni, si decedat in alio Regno, possit ibi testari mediante dispositione nostræ legis? Et breviter & resolutivè dico, quod bene poterit testari de bonis existentibus in isto Regno, non in alio: quia cum lex vel statutum tangat & concernat personam, comprehendit illam licet sit in alio Regno vel territorio; & in consequentiam trahitur & extenditur ad bona existentia in proprio Regno originario: (A) quoad bona verò existentia in alio Regno, vel loco, non potest testari, quia non potest lex vel statutum extendere effectum suum ultra quam extendatur potestas statuentis. Et eodem modo & ratione dico, quod si filius familias alterius Regni decedat in nostro Regno, non poterit testari de bonis hic vel ibi existentibus, quia lex vel statutum non potest comprehendere personam sibi non subditam; argumento text. in leg. 1. ff. *de Tutorib. & curatorib. dat. ab his. text. in leg. Etiam. ff. de Tuel. text. in leg. final. Cod. de Testament. Nec obstat, quod quis non potest decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus: Quia procedit & habet locum, quando quis potest de omnibus bonis testari; secus verò aliàs, ut ut in leg. *final. Cod. de Inoffic. testament. & in expresso ita tenet Bart. in leg. Cunctos populos. Cod. de Summa Trinit. & Fide Catholic. 9. column. n. 26. Bald. 9. column. num. 13. & communiter Moderni. Cifuent. in ista leg. 5. finalibus verbis.**

TEXT. VI.

LOS ascendentes legitimos, por su orden, y linea derecha, succedan ex testamento & ab intestato, á sus descendentes, y les sean legitimos herederos, como lo son los descendientes á ellos, en todos sus bienes, de qualquier calidad que sean, en caso que los dichos descendientes no tengan hijos descendentes legitimos, ó que ayan derecho de les heredar: pero bien permittimos, que no embargante que tengan los dichos ascendentes, que en la tercia parte de sus bienes puedan disponer los dichos descendentes, en su vida, ó hacer qualquier ultima voluntad por su alma, ó en otra cosa qual quisieren: Lo qual mandamos que se guarde, salvo en las Ciudades, Villas, y Lugares, do segun el Fuero de la

(A) Id etiam tenet *Paul. Paris. Cons. 2. volumin 3. Gozadin. Consil. 49. Azeved. in dict. leg. 4. tit. 4. lib. 5. Recopilat. num. 15.*

„ la tierra , se acostumbran tornar sus bienes al
„ tronco , ó la raíz à la raíz.

Id est :

Ascendentes legitimi, suo ordine & linea recta, ex testamento & ab intestato succedant suis descendentibus, sintque illis hæredes legitimi, quemadmodum ipsi descendentes illis sunt, in omnibus suis bonis cujuscumque qualitatis; modò ipsi descendentes careant hæreditatem legitimis, aut jus ad eorum hæreditatem habentibus: Benè tamen permittemus, ut etsi eis sint ejusmodi ascendentes, possint nihilominus descendentes prædicti, dum vivunt, disponere de tertia bonorum suorum parte, aut condere quam velint ultimam voluntatem pro anima sua, aut quomodo eis libuerit: Quod præcipimus ut servetur; præterquam in eis Civitatibus, Oppidis, aut locis, in quibus ex Foro patrio moris fuerit, ut bona redeant ad stipitem, aut stipes ad stipitem.

COMMENTARI II

In Legem VI.

SUMMARIUM.

- 1 Qualiter parentes vel ascendentes succedant liberis?
- 2 An in bonis castrensibus, vel quasi, succedat pater filio jure hæreditario, non jure peculii?
- 3 Effectus qui resultant ex eo quòd succedat jure hæreditario, vel peculii.
- 4 Si filius moritur, relicto patre vel matre, & relicto fratre utrinque conjuncto, an succedant una frater & pater? Et quid in filio emancipato?
- 5 Successio parentum in bonis liberorum est de jure civili positivo tantum.
- 6 Ascendentes an succedant descendentes secundum gradus prærogativam?
- 7 Inter ascendentes an habeat locum representatio.
- 8 Si in successione descendentes concurrat avus paternus & avus maternus, an debeat fieri distinctio bonorum?
- 9 In successione descendentes, si concurrant ascendentes ex linea paterna & materna in dispari gradu, & dispari numero, an admittantur in stipes, vel in capita?
- 10 Quomòdò intelligantur ista verba: otros que le ayan derecho de heredar.

(A) Eandem sententiam amplectitur Matienz. in dict. leg. 1. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 3. num. 4. Velazq. de Avendañ. ibi. gloss. 4. num. 2.

11 Ascendens qui debet succedere cum aliis, si habet usumfructum in bonis descendentes, an illum habeat præcipuum.

12 Pater & mater an in usufructu pariter admittantur? Et alia illationes ex supra dictis.

13 Si filius facit testamentum, & instituit patrem in sua legitima, & in aliis bonis instituit extraneum, pater an præferatur in usufructu?

14 Si sit consuetudo quòd ascendentes ex linea paterna & ascendentes ex linea materna succedant cum distinctione bonorum, servabitur consuetudo.

Nota benè dispositionem hujus legis, quæ singularis & necessaria fuit in isto Regno, in successione ascendentium: Et quia in lectura mea, quam feci de jure communi in materia ultimarum voluntatum, posui in leg. 1. ff. de Vulgar. & pupillar. examinavi, & tractavi magistraliter & utiliter, qualiter filii vel descendentes succedant parentibus & ascendentes? ubi videre poteris: Idèd nunc principaliter volo tractare, qualiter parentes & ascendentes succedant liberis & descendentes suis? de quibus tantum principaliter ista lex loquitur. Pro cujus perfectissima declaratione dico, quòd de jure antiquo Digestorum, pater non succedebat ab intestato filio suo in potestate defuncto jure hæreditario, sed pater occupabat bona ejus jure peculii; & hoc nedum in peculio profectio & adventitio, in quibus totum acquirebatur patri ratione patriæ potestatis, licèt apud filium esset administratio; sed etiam in peculio castrensi vel quasi; quia licèt pleno jure quærentur filio, tamen eo mortuo ab intestato, succedebat pater, non jure hæreditario nec tamquam hæres, sed occupabat illa, jure peculii: textus est capitalis & expressus in leg. 2. ff. de Castrens. pecu. cujus verba sunt: Si filius familias miles decesserit: siquidem intestatus, bona ejus non quasi hæreditas, sed quasi peculium patri deferuntur. & ibi notat Bartol. & communiter DD. antiqui. Hodie tamen posset hoc verificari & habere locum & procedere in bonis profectiis tantum, quæ pleno jure quærentur patri: ut in leg. Cum oportet. Cod. de Bonis qui liberis: & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. & in leg. 5. & 6. tit. 17. 4. part. Sed in omnibus aliis bonis, puta, castrensibus, vel quasi, vel adventitiis ex linea materna, vel ex qualibet alia parte acquisitis, illud reperitur correctum; quia imò in eis pater succedit filio ab intestato, tanquam verus &

le-

legitimus hæres, & jure hereditario: (b) text. est in leg. 3. in principio. Cod. de Bonis qua liber. & ibi notat Bartol. Paul. Salic. & communiter DD. textus in leg. final. Cod. Commun. de successione. propè fin. ibi: Tunc ad ultimum locum pater à legibus concludamur, & sui filii non gratam hæreditatem relictam, sed triste lucrum sibi lugeat acquisitum. & ibi notat Paul. Salicet. & DD. text. in leg. final. Cod. Ad Tertillian. vers. Sin vero defuncta persona. & ibi DD. text. in Authentic. de Hæred. ab intest. venient. cap. Si igitur defunctus. collat. 9. ubi expressè disponitur, quòd deficiente linea descendentium, succedant ascendentes, servata gradus prærogativa; & si plures sunt in eodem gradu, putà, pater, & mater, pariter succedant: & ibi notat Bartol. & alii DD. text. in Authentic. In successione. Cod. de Suis & legit. ubi, si filius familias moritur ab intestato, relictis filiis, & relictis parentibus, succedunt & præferuntur filii: quod non esset, si pater potuisset occupare ejus bona jure peculii: & ad hoc notat & ponderat ibi Bartol. & alii DD. text. in Authentic. Defuncto. Cod. Ad Tertillian. cujus verba sunt: Defuncto sine liberis filio, parentes, si soli sunt, succedunt salva gradus sui prærogativa. Tenet etiam Bart. in leg. Post dotem. ff. Solut. matrimon. 6. column. num. 26. & ibi Moderni, præcipuè Jason. 15. column. num. 65. Cin. in Authentic. Itaque. Cod. Commun. de success. 2. column. propè fin.

Et effectus est maximus: quia si pater occuparet jure peculii, nullus alius posset succedere, licèt sit in potiori vel æquali gradu: unde, non possent succedere liberi nec descendentes hujus filii in potestate, sed solus pater: (c) item, non posset mater cum eo concurrere, licèt sit in pari gradu. Sed hodie, cum hæreditas deferatur jure hæreditario, & jure propriæ & ordinariæ successione, ut dixi, sequitur quòd prima causa successione erit liberorum: item, quòd pariter admittentur pater & mater. Præterea alius effectus est: quia si ratione peculii filius contrahebat; defuncto filio, pater obligabatur de jure antiquo tantum quatenus erat in peculio, & tenebatur tantum infra annum; ut in leg. 1. & per totum. ff. Quando actio de pecul. est ann. hodie verò tenebitur in solidum & perpetuò tanquam hæres, si adit hæreditatem. Et in expressò, istos effectus probat textus, juncta Glossa ordinaria, & ibi tenet & declarat Bartol. & communiter DD. in leg. Pater qui castrense. ff. de quasi pecul. tenet etiam, & notabiliter declarat Jas. in leg. Qui se patris. Cod. unde liber. antepen. column. num. 60. & pro ista communi sententia & doctrina

est hodie lex 4. tit. 13. partit. 6. quæ disponit, quòd parentes succedant filiis & descendentes secundum sui gradus prærogativam; & si plures sint in eodem gradu, pariter succedant: idem expressè disponit ista lex 6. Taur. in princ.

Item adde, quòd si filius moriatur, relicto patre vel matre, & alio fratre vel fratribus utrinque conjunctis, talis frater vel fratres succedunt unà cum ipso patre vel matre pro virili portione: text. est in Authentic. de Hæredib. ab intest. ven. cap. Si igitur. collat. 9. & in Authentic. Defuncto. versic. 1. Cod. ad Tertillian. & ibi communiter DD. Quod tamen hodie corrigitur in nostro Regno, quia solus pater vel mater succedit, & non concurrunt cum eis alter filius fraterque ipsius defuncti: ita expressè disponit Lex 7. Tauri. & ista est ejus principalis decisio, nec aliud nobis adduxit. Si verò talis filius erat emancipatus, pater non succedebat ei, nisi eum emanciparet contracta fiducia, reservando sibi jus successionis; licèt benè succederet de jure prætorio: text. est in leg. 2. §. Objicitur. ff. Ad Tertillian. text. in leg. Si ad patrem. ff. de Suis & leg. hæred. Postea verò de jure Codicis decisum est, quòd semper videatur pater emancipare filium contracta fiducia, & tacitè à lege subintelligatur illud pactum inesse, licèt expressè non apponatur: text. est in leg. Si ab eo. Cod. de Legitim. hæredib. text. in leg. fin. Cod. de Emancip. liber. ibi: Et legitima jura omnino habere, etsi non specialiter hoc sibi servaverit. text. in §. final. Instit. de Legitim. agnat. succes. & ibi notat Fab. & communiter DD. text. in leg. 4. Cod. de Legit. tutela. Hodie verò de jure novissimo Authentic. indistinctè succedit pater filio emancipato sicut filio in potestate, quia sublata est differentia patriæ potestatis & emancipationis: text. est in Authentic. de Hæred. ab intestat. venient. cap. Nullam verò. collat. 9. & ibi communiter DD. text. in Authentic. Defuncto. Cod. Ad Tertyll. ibi: Exclusa prorsus omni differentia sexus & patriæ potestatis: & idem disponit lex 4. tit. 13. 6. part. istud idem determinat & disponit nostra Lex 6. Taur. in princ. quæ ita debet intelligi. Unum tamen est, quòd ita demum ascendentes succedunt descendentes, quando tales descendentes non habent filios, vel descendentes legitimos, vel alios qui habeant jus succedendi: ita disponit nostra lex Taur. & hoc est notissimum, & probavi in linea descendentium.

Advertendum tamen est, quòd ista successio defertur parentibus vel ascendentes ab intestato in bonis liberorum, de jure civili positivo tan-

(b) Vide Matienz. in dict. leg. 1. glos. 3. num. 5. Velazquez de Avendaño glos. 4. num. 6. hic.

(c) Eundem effectum considerat Matienz. ubi supra num. 7. & Velazquez hic. glos. 4. num. 5. alios allegant:

tantum, non verò de jure naturali, vel divino: text. est in *leg. Scripto. §. final. ff. Unde liberi.* cujus verba sunt: *Non sic parentibus liberorum, ut liberorum ratio miseracionis admittit, liberos natura simul & parentum commune votum.* text. in *leg. Nam etsi parentibus. ff. de Inoffic. testament.* text. in *leg. Jure succursum est. ff. de Jur. dotium.* cujus verba sunt: *Jure succursum est patri, ut filia amissa solatii loco cederet, &c.* Probat etiam in *Epistola Pauli 2. ad Corinth. cap. 12.* dicentis: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Et transumptivè, in *cap. Cum Apostolus. §. Prohibemus. de Censibus. & in cap. Prædicator. caus. 16. quæst. 1.* & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. Nec obstat text. singularis in *leg. final. Cod. Quorum bonorum.* dum dicit: *Et lex ipsa natura successores eos faciat.* ubi probatur, quòd nedum ascendentes succedunt de jure naturali, sed etiam collaterales: quem ad hoc notat & commendat Bald. dicens, vix alibi reperiri: notat etiam & commendat ibi Angel. & alii DD. facit etiam text. in *leg. 1. §. Hac autem. ff. Unde cognati.* text. in *§. final. Instit. de Legit. agnat. tutel.* facit etiam text. expressior & melior de jure in *Authentic. de Hæred. & falcid. in Præfac. §. Primum itaque. collat. 1.* cujus verba sunt: *Tanquam hoc secundum ipsam naturam eis debeatur, quale est filiis & nepotibus, partibus, atque matribus, interdum verò etiam fratribus.* text. in *cap. Si pater. de Testament. in 6.* ibi: *Absque deductione Trebellianica, sive partis jure natura debita.* Quia respondeo, quòd ex eo quòd cognatio dicitur inter eos ratione sanguinis ex naturali generatione, ideò potest dici successio naturalis. Vel aliter, & secundò, quòd illa jura intelligantur, quòd ascendentes & collateralibus debeatur successio de jure naturali largo modo & genericè: quia etiam inter extraneos dicitur esse quædam cognatio de juræ naturæ; quia omnes ab uno parente descendimus, scilicet, ab Adamo: ita probat Glossa notabilis, juncto textu, in *leg. Ut vim. in fin. ff. de just. & jure.* ibi: *Et cum inter nos cognationem quandam natura constituit.* & dicit ibi Glossa *cognationem*, quia omnes ab Adamo processimus. Pro qua solutione, & consideratione facit text. in *leg. Non facile. ff. de Gradibus.*

Ex quo notabiliter potest inferri, quòd ista potest esse concludens ratio per quam filius præfertur avo in successione patris; ut notabiliter dixi in linea descendentium. Secundò potest inferri, quòd lex vel statutum posset tollere successione, imò,

(d) Hanc sententiam sequuntur Palac. Rub. hic. num. 9. Tell. Fernand. num. 16. Covarrub. in *Epitome success. ab intest. num. 3.* versic. *Quarta assertio verò. cap. 29. num. 34.* cum aliis quos congerunt & sequuntur Matienz. ubi supr. num. 12. Velazq. de Avendañ. hic. glos. 2. num. 2.

etiam legitimam, ipsis parentibus, & penitus eos excludere à successione liberorum, & præferre collaterales, vel alios; cum successio sit tantum de mero jure positivo. Tertiò infero, quòd ista potest esse ratio & confirmatio ad text. in *leg. 10. infr. His legibus Taur.* ubi habetur, quòd si quis habet filios naturales & similiter etiam parentes, potest bona sua filiis naturalibus relinquere, & parentes præterire. Quartò infero, quòd ista potest esse ratio, per quam potest pater pupillariter substituere filio suo in omnibus bonis, licet filius habeat matrem; & talis substitutus præfertur matri etiam in legitima sua, ut dixi supr. Quintò infero, quòd licet filius non possit renuntiare successioni patris sine juramento, tamen pater potest renuntiare successioni filii etiam sine juramento.

Item adde, prosequendo materiam, quòd prædicti ascendentes succedunt descendentes ab intestato secundum gradus prærogativam: Unde, si solus pater est, ipse præfertur: si mater sola, similiter præfertur: si pater & mater, pariter admittuntur, excluso avo & proavo, & exclusis omnibus aliis ascendentes posterioris gradus; & sic de singulis: text. est in *Authentic. de Hæred. ab intestat. venient. cap. Si igitur defunctus.* versic. *Si autem plurimi. collat. 9.* text. in *Authentic. Defuncto. Cod. ad Terryllian.* cujus verba sunt: *Defuncto sine liberis filio, parentes, si soli sunt, succedunt, salva gradus sui prærogativa: si pari gradu sunt, pariter succedunt.* & idem disponit expressè text. in *leg. 4. tit. 13. 6. part. & text. in leg. nostra. 6. Tauri. in princ.* dum dicit: *Por su orden, y linea derecha.*

Ex quo singulariter & subtiliter inferitur, quòd in successione hujus lineæ ascendentes non habet locum representatio: Unde, sicut quando concurrat pater, avus paternus vel avia, proavus vel proavia, & superiores ex linea paterna, præfertur ipse pater omnibus aliis; & sic deinceps, qui est in proximiori gradu præfertur aliis: (d) Ita etiam, si prædictus pater concurrat cum avo, proavo, avia, vel proavia, & aliis ascendentes ex linea materna, matre mortua, præfertur ipse pater avo materno & omnibus aliis ascendentes ex linea materna: nec tali casu avus maternus representat personam matris, & sic ejus filia mortua, nec loco ejus succedit nec subrogatur; quia tantum attenditur in hac linea prioritas in gradu. Et idem est de contra ex parte matris; quia si reperitur mater, & ex linea paterna reperitur avus, vel avia, proavus vel proavia, vel superiores ascendentes, ipsa mater præfertur omnibus; quia reperitur esse in proximiori gradu: & sic numquam

quam habet locum representatio: Et in expressò istam conclusionem probant prædicta jura supra allegata, in quantum ponunt regulam & doctrinam, quòd in hac linea proximior in gradu præfertur; nec reperitur jure cautum, quòd habeat locum representatio, sicut reperitur in linea descendentium: & ex isto fundamento istam conclusionem tenet Glossa ordinaria in *dict. Authentic. de Hæred. ab intestat. venient. cap. Si igitur defunctus.* versic. *Si autem plurimi. in gloss. 1. in verb. Proximi.* & ibi Glossa, in *Authentic. Defuncto. Cod. ad Terryll.* & ibi Cyn. in *princip. num. 3.* Bald. 1. *column. in princip.* Paul. 1. *column. num. 3.* Salicet. 1. *column. numer. 2.* qui notabiliter, & melius quam alius in hoc articulo loquitur: & est ista communis opinio secundum Corn. *ibid. 2. column. post princ. Matthe. in tract. de Success. ab intestat. 5. fol. 2. column. num. 4.* versic. *Aut supersunt parentes dispares.* & ibi Additionator ejus: tenet etiam Angel. in *§. Præferuntur. Institut. ad Terryll. 1. column.* Roland. in *Tractat. de Success. ab intestat. 4. column. num. 8.* & ibi ejus Additionator reputans notabile: Nicol. de Ubal. in *Tractat. de Success. ab intestat. 38. column. num. 3.* Pro qua communi sententia facit duplex ratio. Prima, quòd non est ita debita successio lineæ ascendenti, sicut descendenti; ut supra probavi: & istam ponit Cyn. Bald. Paul. & communiter DD. in *dict. Authentic. Defuncto.* Secunda melior & subtilior ratio est: quia in linea descendenti meritò filius subrogatur loco patris, & representat eum; quia hoc est imitari ipsam naturam; cum pars parentum descendat ad filios propter naturalem generationem: (e) argument. *leg. Liberorum. in fin. ff. de Verbor. signific. & leg. Duodecim Tabularum. Cod. de Legit. hæred.* sed in linea ascendenti non datur talis subrogatio, imò nec est possibilis secundum ipsam naturam: unde, leges nostræ civiles positivæ non admiserunt quòd parentes representent filios, vel descendentes mortuos, nec subrogentur loco eorum; cum ars semper imitetur naturam, & non fingat nec disponat contra illud quod est impossibile in genere, ut in *leg. Adoptio. la 1. ff. de Adopcionib. cum similibus.* Ista rationem, licet non sic declaratam, ponit Salic. in *dict. Authentic. Defuncto. 1. column. in fin.* qui dicit esse tenendam cordi, quia est decisiva quæstionis: idem Salic. in *Authentic. Post fratres la 1. in finalib. verbis. Cod. de Legit. hæred.* Contrariam tamen sententiam tenet expressè solus Jacob. Butr. originaliter in *dict. Authentic. Defuncto. in fin. quæst. imò*, quòd etiam inter ascendentes habeat locum representatio, sicut inter descendentes, ratione correlativorum: Nec obstat text. in *dict.*

Authentic. Defuncto. & jura superius adducta, quæ dicunt quòd parentes succedunt salva gradus sui prærogativa: Quia debent intelligi, quòd proximior in gradu in linea paterna excludat alios de eadem linea, non verò excludat alios de alia linea, scilicet materna; & proximior de linea materna excludat alios de eadem linea, non de paterna. Et istam conclusionem aliquando publicè disputavi in nostra insigni Universitate pluribus modis, juribus & rationibus, quæ in præsentem non refero. Sed nunc firmiter teneo primam opinionem tamquam veram & communem, à qua non est recedendum in judicando & consulendo, licet alia possit fundari in via disputativa.

Advertendum tamen, quòd est dubium singulare & subtile: Si in successione nepotis vel alterius descendentes, concurrat avus paternus & avus maternus, vel posteriores ascendentes ex linea paterna, & alii in eodem gradu ex linea materna: an debeat fieri distinctio bonorum, taliter quòd avus paternus succedat in bonis habitis & acquisitis à linea paterna, avus verò maternus succedat in bonis acquisitis à linea materna? Et videtur quòd debeat fieri prædicta distinctio bonorum, ut unusquisque succedat in bonis habitis & acquisitis à linea prima, per textum singularem & unicum in *leg. 3. §. final. Cod. de Bonis qualibet. juncta glos. 2. expositiva*, quæ incipit, *Tam patre.* & juncta *glos. penult. in verb. Ejus.* ubi vult ille text. secundum expositionem glossar. quòd si in successione nepotis qui plura bona acquisivit ex linea materna, concurrat pater: & exponit utraque gloss. *pater ipsius matris & sic avus maternus:* & concurrat avus paternus; præfertur pater & sic avus maternus in illis bonis alteri avo paterno; & sic apertè probatur, quòd debet fieri prædicta distinctio bonorum; & per illum textum ita expressè tenet ibi Bart. dicens, illum textum esse singularem, & non alibi: & idem tenet ibi Angel. in *princip. leg. Paulus de Caltr. in fine*, dicens, quòd ad hoc ille textus est mirabilis & unicus. Idem etiam per illum textum tenet Bart. in *Authentic. Itaque. Cod. Commun. de Success. num. 1.* Angel. *ibi. post princip. versic. Tertio deficit.* ubi dicit, illum textum non esse alibi. Idem Bartol. in *leg. Post dotem. final. column. & quæst. ff. Solut. matrim.* ubi dicit, illum textum non esse alibi: *ibi Imol. final. column. ultim. notabili.* Roman. *ibi*, quem refert Jas. illum etiam textum ad hoc dicit unicum Angel. in *§. Præferuntur. Institut. de Senatus consult. Terryllian. 1. column. versic. Hoc tamen fallit.* & tenet etiam ibi Jas. *penultim. column. in fin.* quem vide à num. 77. usque in finem. Ista etiam conclusionem per illum text. tenet Bartol. in *Consil. suis,*

(e) Hanc eandem rationem tradit ipse Dominus meus in primo tomo *Variarum, cap. 1. num. 4.* quam sequuntur Velazquez, & Matienz. ubi supr.